Quelle: https://manuscripta.at/?ID=8250
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek



Cecessit ergo edom ne esset subiuda usq; in diem hanc tunc recessit et lob ua interiit illo. reliqua autem sermonum ioram et omnia que fecit nonne hec scripta sunt in libro uerborum dierum regum iuda. et dormiuit ioram cum patribus suis sepultus q; est cum eis in ciuitate dauid. et regnauit ahazias filius eius pro eo. Anno xii. ioram filii achab regis israel regnauit ahazias filius ioram regis iude. Viginti duorum annorum erat ahazias cum regnare cepisset. et uno anno regnauit in ierusalem. nomen matris eius athalia filia zambri regis israel. et ambulauit in uiis domus achab et fecit quod malum est in conspectu domini sicut domus achab. genere enim domus achab fuit. abiit quoq; cum ioram filio achab ad pugnandum contra azahel regem syrie in ramoth galaad. et uulnerauerunt syri ioram qui reuersus est ut curaretur quia uulnerauerunt eum syri in rama pugnantem contra azahel regem syrie porro ahazias filius ioram rex iuda descendit in uisere ioram filium achab in iezrahel quia egrotabat ibi.

IX

Heliseus autem prophetes uocauit unum de filiis prophetarum et ait illi. Accinge lumbos tuos et tolle lenticulam olei in manu tua et uade in ramoth galaad. cumq; ueneris illuc uidebis hieu filium iosaphat filii nimsi. et ingressus suscitabis eum de medio fratrum suorum et introducies in interius cubiculum retenensq; lenticulam olei fundens q; super caput eius et dices. hec dicit dominus. unxi te regem super israel. aperiesq; hostium et fugies et non ibi subsistes. abiit ergo adolescens puer prophete in ramoth galaad et ingressus est. Ecce autem principes exercitus sedebat et ait. Verbum uobis ad te o principe. dixit q; hieu. ad quem ex omnibus nobis. at ille dixit ad te o princeps. et surrexit et ingressus est cubiculum. at ille fudit oleum super caput eius et ait. hec dicit dominus deus israel. unxi te regem super populum domini et populum domus israel. percutiesque domum achab domini tui et ultiscar sanguinem seruorum meorum prophetarum et omnium seruorum domini de manu iezabel. perdam q; omnem domum achab et interficiam de domo achab mingentem ad parietem et clausum et nouissimum in israel et dabo domum achab sicut domum ieroboam filii nabath et sicut domum baasa filii ahia. iezabel quoq; comedent canes in agro iezrahel. nec erit qui sepeliat eam. aperuit q; hostium et fugit hieu autem egressus est ad seruos domini sui. qui dixerunt ei. recte ne sunt omnia quid uenit insanus iste ad te. qui ait eis. nostis hominem et quid locutus sit. at illi responderunt. falsum est sed magis narra nobis. qui ait eis. hec et hec locutus est mihi. hec dicit dominus unxi te regem super israel. festinauit ita q; uunsquisq; tollens pallium suum posuerunt sub pedibus eius in summitatem tribunalis et cecinerunt tuba atq; dixerunt. regnauit hieu. regnauit ergo hieu filius iosaphat filii nimsi contra ioram. porro ioram obsederat ramoth galaad. ipse et omnis israel contra azahel regem syrie et reuersus fuerat ut curaretur in iezrahel propter uulnera quibus percusserant eum syri pugnantem contra azahel regem syrie dixit q; hieu. si placet